



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quæscientia in promovendis ad dignitates, & alia beneficia
Ecclesiastica sit necessaria?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

& Vicarias perpetuas Ecclesiarum Parochialium requiritur aetas 25. annorum, saltem inchoatorum, ut patet ex c. nemo 15. de elect. in 6. & ex Clement. uni. de offi. Vicar. 3. quae aetas non requiritur in eo, cui Ecclesia Parochialis administranda seu in commendam conceditur. Penitentiarius tamen in Ecclesiis Cathedralibus debet esse annorum 40. juxta Conc. Trident. sess. 24. c. 8. de reform. 4. Ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium de jure Trident. sess. 24. c. 12. de reform. (quidquid sit de jure antiquo) requiritur illa aetas, quam Ordo Canonicatus annexus requirit; & cum in nostra Germania tales Ordines per se annexi non sint pluribus Canonicatibus, nisi vocem velint habere tales Canonici in Capitulo, hinc sicuti ad Canonicatus Ecclesiarum Collegiarum, & aliorum beneficiorum simplicium, sufficiunt 14. anni, saltem inchoati, ita hi videntur etiam sufficere in nostra Germania ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium; quod videtur etiam probari posse ex Trident. sess. 23. c. 6. de reform. ex quo Concilio sess. 24. c. 12. de reform. etiam habetur, quod Episcopus dispensare non possit super aetate ad obtinenda beneficia requisita, nisi certa aetas ad obtinendum beneficium ex peculiari tantum diocesis v. g. statuto requiratur, aut si aetas certa tantum requiratur ratione ordinis tali beneficio annexi; sicuti etiam in statutis à se vel ab antecessore suo factis dispensare potest, & sicuti dispensare potest in ordine per accidens requisito, ita potest etiam in hoc statuto super aetate requisita.

§. III.

Qua scientia in promovendis ad dignitates, & alia beneficia Ecclesiastica sit necessaria?

IN genere dici potest, quod ea scientia requiratur, quae ad officium beneficium annexum ritè obeundum necessaria est; qua si caret illiteratus, etiam acquisitis beneficiis privandus est c. fin. h. t. & si penitus illiteratus sit, ipso jure est nulla beneficium collatio, prout etiam patet ex Canone primo dist. 36. & quamvis spectato jure communi antiquo non requiratur ad ullum beneficium gradus aliquis Doctoratus vel Licentiae, ex decretis tamen Concilii Trident. debet esse Doctor vel Licentiatus Theologiae aut juris Canonici, inprimis Episcopus (vel saltem publico Academiae alicujus testimonio, aut aliter idoneus ad alios docendos, quod etiam de aliis intelligi debet) sess. 22. c. 2. de reform. Secundò Archidiaconus (Principalis Ecclesiae Cathedralis, si curam animarum, & jurisdictionem fori externi contentiosam habeat, quae hodie plerumque Vicario generali competunt) sess. 24. Trident. c. 12. §. Archidiaconi. Tertio Scholasticus, si per se ipsum munus id expleat sess. 24. c. 8. Et quinto denique Vicarius vacante sede eligendus, sess. 24. c. 16. quia ad hoc etiam c. 12. hortatur Trident. ut in Provinciis, ubi commodè fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars Canonicatum in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis in signibus, conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel jure Canonico.

§. IV.